



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Capvt IV. De Capellano celebrante per alium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

CAPVT IV.

De Capellano celebrante per alium.

§. I. Quando quis potest celebrare per alium.

1. Si unica regula. Quoties Fundator non ponit hanc clausulam, ut per ipsum Capellanium celebret, seu non celebrat per alium, poterit semper per alium supplere. Ita Bonac. de Enc. d. 4. q. ult. p. 7 §. 1. n. 1. March. de ord. tract. 2. part. 2. cap. 4. num. 24. Ratio est, quia ex una parte Sacrificium est aequalis valoris, & ex alia, nisi se Fundator explicuerit, nil, saltem principaliter, velle nisi ipsam Sacrificij oblationem, nec elegisse peculiarem personam qualitate praesumendus est. Adde multas Sacrae Romae decisiones dictam regulam confirmantes.

2. Hinc infero Primò, idem esse sentiendum in elemosynis manualibus. Si quis enim à te Missam exposcat, praecipue postulet, ut per te ipsum satisfacias, poteris per alium. Ratio est iam dicta.

3. Infero Secundò, Capellanum praedictum habentem onus celebrandi in determinato Altari, vel Ecclesia, & posse per alium supplere, nec posse ab Episcopo compelli, ut per se celebret. Ita Bonac. ibid. Barbof. de potest. Ep. d. 2. n. 29. Ratio est, quia iam implet Testatoris mentem, quam non adimpleret, adeoque posset cogi, in illo casu, quo ipse personaliter, ut diximus, esset electus.

4. Infero Tertiò, non posse per alium satisfacere, cum Capellanus, qui in Cathedralibus gaudet, per suam Missam distributionibus quotidianis. Sic Grat. Mon. Gonfal. apud March. de ord. tract. 3. p. 2. cap. 29. num. 16. Ratio est, quia ejusmodi Capellania requirit Praesentiam personalem, unde, quando eligitur Capellanus, fit veluti quaedam conventio, ut nisi personaliter celebret, distributiones non lucretur.

Idem propter eandem rationem dic, si alicubi sit similia lex, vel legitima consuetudo celebrandi per se.

5. Infero Quartò, cum Bonac. d. §. 1. n. 4. posse aliquem celebrare applicando Missas pro aliquo effectu, ad quem alter Sacerdos obligatur, hoc altero infuso, imò, & pro illis Missis, recipere stipendium. Petrus v. g. obligatur celebrare decem Missas pro Defunctis, nec tamen illas celebrare curat si Antonius eas, Petro infuso, celebrat proque dictis de Functis applicat, dico Antonium satisfacere obligationi Petri, idque posse deinde significare eidem Petro, & accipere stipendium. Ratio est, quia iam Defuncti per alium lucrati sunt fructum, ergo dignus est hic alius sua mercede.

6. Infero Quintò, quid dicendum sit ad illum casum, de quo olim interrogatus fuit Panormi. Confratres quidam elegerunt Antonium Sacerdotem, qui diebus festis celebrat, & Confratrum confessiones audiet. Post aliquot menses nactus Antonius pinguiorum Capellaniam, satisficere praedictis Confratribus intendebat per alium, poteratne id tentare contra Confratrum voluntates? Respondi negativè, cum enim eundem Confratres in Confessarium sibi elegerint (imò de consuetudine in nostris Regionibus sic intelligitur, cum Sacerdos eligitur ab huiusmodi Confratribus clarè constabat electam personam illam fuisse. Adde quod sicuti quando est obscura Testatoris voluntas, recurritur ad intelligentiam verborum eius, ita hic confugere oportebat ad Confratrum sensum, qui jam de sua mente contra Sacerdotis intentionem testabantur.

7. Infero Sextò. Si quis obligatus in tali Ecclesia pro aliquo celebrare, celebraret in alia applicando Missam pro illo, simul curans, ut alius Sacerdos celebraret loco ipsius in illa Ecclesia designata quoad praesentiam tantum, non verò quoad Applicationem, satisficeret suae obligationi. Ratio est, quia totam Fundatoris mentem adimplet. Solum est advertendum, ne Ecclesia illa sit electa forte, quia ibi adest Indulgentia applicandi ibi Missam pro Defuncto, tunc enim non impleteretur mens Testatoris, ut per se patet.

Par. II.

§. II. Quando Capellania possit non Sacerdoti conferri.

1. Ex dictis oritur illa celebris dubitatio. An Capellania Sacerdotalis relicta à Testatore possit conferri Clerico nondum Sacerdote? Ratio dubitanti est, quia ex una parte si Capellanus potest, ut dictum est, per alios satisfacere, quilibet Clericus erit ejusmodi Capellaniae capax, cum possit per alium Sacerdotem satisfacere: Ex alia tamen videtur mens Testatoris Sacerdotem velle, dum Sacerdotalem Capellaniam instituit, testò, deinde Capellanus Sacerdos instituitur, per alium velleat satisfacere.

2. Tres sunt sententiae. Prima docet absolute ejusmodi Capellaniam non posse conferri, nisi Sacerdoti. Ita Barbof. de pot. Episc. all. 24. n. 37. Gasias apud Marchin. max citandam. Secunda, posse Clerico dummodo Testator non se explicuerit velle omnino Sacerdotem. Ita Bonac. de Sacr. disput. 4. q. ult. p. 7 §. 1. clarius Fagund. 1. Ecc. pr. lib. 3. c. 9. n. 3. afferens exemplum Suariz. Tertia, cum eadem exceptione posse quidem, sed debere conferri solum ei Clerico, qui infra annum Sacerdos ordinari possit. Sic Marchin. de ord. tract. 3. p. 2. cap. 29. n. 4. Prima opinio fundatur in secunda parte rationis dubitandi, secunda in prima parte ejusdem. Tertia in paritate cum ceteris Beneficiis Sacerdotibus, in quibus ex Trid. sess. 24. cap. 12. de ref. c. si pro Clericis c. ei cui, de praebendis in 6. sufficere solet habitus, & potentia proxima ad Sacerdotium, qualis est in illo, qui infra annum initiari potest.

3. Ex his sententiis Primam non amplectimur, quia nisi Testator se explicet, non praesumitur tantum rigorem voluisse in sua dispositione. Secunda, & Tertia sunt probabiles, quia bonis rationibus inniuntur.

4. Atque ex his rectè colligimus cum Fag. ibidem alisque, posse quemlibet habere duas, vel tres Capellantias requirentes Missas etiam in diversis locis, quia haec sunt instar Beneficij simplicis, quod non requirit residentiam, & per alium supplere iure potest.

Quandonam Fundator praesentatur velle, ut Capellania Sacerdoti alicui conferatur?

5. Dico illam esse universalem Regulam ex Doct. citatis: Debere Sacerdoti conferri, quoties verba Testatoris, si ve laici, si ve Ecclesiastici significant, affectant, seu postulant personam Sacerdotis, non debere quoties affectant ipsam Missam. Clarius: debere quando principaliter eligitur persona Sacerdotalis, secus quando principaliter intenditur Sacrificium.

Exemplis adhuc clarior fiet regula. Si quis Fundator ita disponat: Elegatur seu praesentetur Presbyter bona conditionis, qui tot Missas celebret. Eligatur qui Missam celebret. Celebrentur à Sacerdote tot Missae. Haeredes in tali Capella Capellanum eligant, qui tot Missas pro me celebret; vel diu nocturne Altari serviat, divinaque officia recitet. Praesentetur, qui tot Missas in hebdomada celebrare teneatur; praesentetur Capellanus, seu Sacerdos; Si inquam ita disponat Fundator, videtur solum onus Missae respectere non personam qualitatem. Nisi forte id sit in Cathedralibus per distributiones quotidianas; quia tunc personalis est dispositio, ut n. 4. diximus.

6. Si sic disponat Missa tot celebrentur, non per alium, sed per proprium Capellanum meum, vel per proprium Rectorem Ecclesiae. Capellanus meus deserviat personaliter. Non eligatur nisi sit Sacerdos. Capellania non conferatur, nisi Sacerdoti. Capellania non praesentetur nisi Sacerdos Legatum meum non assequatur nisi Sacerdos. Iubeo conferri Sacerdoti, & non alteri praesentetur, seu conferatur Sacerdoti, qui sit Presbyter bona fame (nam per hanc geminationem videtur expolci Sacerdotium: si, inquam, aliquo ex praedictis modis disponat, eligitur ipsa Sacerdotis persona; Nisi forte alicubi, etiam positis his, vel similibus verbis fuerit introducta consuetudo contraria, id est, fuisse admissos Capellanos non Sacerdotes: nam tunc ex tali observantia subsequetur, videtur mens Testatoris explicata fuisse pro non Sacerdote.

Q 3 . 7. Vnum

7. Vnum non prætermittam; esse nimirum probabile etiam in hoc secundo dispositionis modo n. 6. dicto, satis esse si talis eligatur, qui iusta annum possit ordinari. Ita *Fag. Ecc. præc. 1. l. 3. c. 9. n. 2.* *Loth. de re Benef. l. 2. c. 47. n. 51.* Ratio est: quia interim potest supplere per alium: & ex alia parte, qui intra tam modicum tempus fieri Sacerdos potest; iudicatur habere sufficientem habilitatem, cum is, qui in proximo initiandus est Sacerdos, ut Sacerdos habeatur in iure.

§. III. *Obligatus per se ipsum, per alium celebrans an peccet? Et an obligetur ad restitutionem?*

1. **Q**uod peccet, & quid ex genere suo mortaliter (ni excusetur à parvitate materiæ, vel à necessitate, de qua mox *cap. 5.*) dubium non est, quia agit contra mentem Testatoris, contra pactum: Vide, quæ diximus supra *cap. 2. §. aliqua* enim ex illis sunt hic proportionaliter applicanda.

2. Quoad restitutionem. Dico non obligari. Ita Bonac. *disp. de Enc. 4. q. ult. p. 7. §. 1. n. 2.* ex Azor. Ratio est, quia quantum ad principale, (qui est fructus ex opere operato) tantum exhibitum fuit per alium, quantum fuisset per se ipsam cum omnia Sacrificia sint ejusdem valoris.

3. Dices, at devotio forte fuisset major ejus, qui per se ipsū celebrare debebat, unde potuit illatū fuisse damnum ei, qui Missam petiit, quoad fructum ex opere operantis. Respondeo. At devotio forte fuit major alterius, qui supplēvit, unde potuit evenisse majus emolumentum ei, qui Missam petiit. Adde dictum fuisse supra *c. 1. §. 9. n. 11.* hujusmodi fructus spirituales, quamvis, à petentibus Missas omnino volitis, non cadere tamen, quoad restitutionis onus, in considerationem.

De Sacerdote, qui committit alteri Missas, quas hic non celebrat.

4. Si Capellanus, etiam ille, cui permittitur per alium celebrare, alium deleget, & hic non celebrat, quid fiet?

Dico Capellanum debere numerum Missarum vel per se, vel per tertium supplere, vel elemosynam reddere. Ratio est, quia si à te ego emerem v. g. picturam à te faciendam, & tu traderes illam dato pretio, efformandam alteri tertio: si hic ex quocumque casu, etiam subitanea morte correptus, exequi injunctum opus non potest, tu non eximeris ab obligatione providendi me de pictura; ita proportionaliter in casu nostro: Et Ratio ulterior est quia tibi perit, seu deficit ille susceptus, non mihi, qui tecum contraxi, non cum illo.

CAPVT V.

De obligatione Capellani, quando adsunt impedimenta celebrandi, quæ ipse removere non potest.

1. **I**D hic agimus: nam quando removere potest, dicemus *capite sequenti*. Et quamvis utriusque tractatio commodiorem fortasse habuisset alibi locum, huc tamen, ubi agimus de obligatione Capellani, nec incommode rejecta est.

2. Solent autem ejusmodi impedimenta se tenere vel ex parte Sacerdotis, vel ex parte loci, vel ex parte temporis, vel ex parte similibus circumstantiarum, & quibus claritatis gratia, sic breviter separatim disputamus.

§. I. *De impedimentis ex parte Sacerdotis.*

1. **S**I Capellanus infirmus, carcere detentus, vel simili impedimento laborans tenetur per se celebrare, nec potest; certum est eum esse excusandum à celebrando per se, quia est legitime impeditus. Ita Doctores maxime citandi. Sed adhuc queritur, an tunc statim teneatur per alium supplere, ne scilicet gratis fruatur interim stipendio annuali, quod pro se currit?

2. Dico distinguendum esse, *ibid.* Si breve est impedimentum, non tenetur teneatur, si longum, nisi expresse

colligatur, mentem testatoris fuisse, ut nunquam Missa. Ratio est, quia præsumendum est Testatoris fuisse tam rigide in brevi impedimento cum suo Capellano agere; ut statim ad restitutionem teneretur, si longum, vel quando se declaravit, præsumitur voluisse, quæ longa infirmitate eademque est ratio de cæteris legitimis impedimentis; Barbosa de pot. *Ep. p. 2. coll. 24. n. 31.* alibi infirmitatem octo, vel decem dierum; Bonacina *disp. de Enc. 4. q. ult. p. 8. n. 17.* quindecim dierum Pet. *de rest. lib. 2. cap. 2. n. 210.* unius mensis. Delong. *de d. 21. sect. 2. n. 49.* mensium duorum: Omnes præterea, quia in iure tale tempus breve iudicatur. Vide *cap. 1. §. 9. n. 4.* Vide etiam *c. 3. §. 1. n. 6.* ubi advertitur dari Vacationem, quando onus est susceptum à Sacerdote, sed debere esse totius Monasterii, quod rarissimum erit. Nec dari vacationem acceptis elemosynas manuales, vel legata annua ex illius etis patet.

4. Quod si in Monasterio, vel Ecclesia adsint infirmi, sed qui validiores sunt, sufficientes ad celebrationem: illa illorum infirmitas non excusabit, quia obligatio sit Monasterii, & non particularium infirmorum, qui si incolumes remanent, onus totum Monasterii incumbet.

Quod si qui sani remanent omnia onera, quæ diversarum personarum habet Ecclesia, solvere non possunt: quæ possunt solvari.

5. At quantum personarum, quandoquidem ratio de una, quam de alia? Respondeo, aliter singulorum, ita ut omnes aliqua Missa cæteant, aliter habeant, juxta majus, vel minus legatum à singulis Ecclesiæ relictum, pinguiori plures Missæ, minus pauciores tribuendo. Ratio est, quia ita æquitas exparte videtur, non enim video cur in hoc casu, locum habere possit illa Regula, *Qui prior est tempore, prior est jure*: cum prioritas non videatur hic esse momenti, ut vincat cætera posteriora legata sunt pauciora.

6. Negotium grave Capellani, vel incommodatius ducuntne dictum legitimum impedimentum? Respondeo affirmativè de priorè, sed de posteriorè negati. Ratio est quia negotium grave reducit ad Necessitatem: incommoditas, dum remanet in terminis incommodatitatis, ad negligentiam, ad quam evincendum præhabet stipendium Capellani.

Vnum adverto: Superiorem, quando videt summa Sacerdotum dicta legitima impedimenta, debere esse illicitum ad alios advocandos in subsidium, æquitas enim postulat, ut si id possit, non negligat.

§. II. *De impedimento ex parte loci.*

1. **S**I Ecclesia est violata, si interdicta, si deserta, si non inveniuntur claves ejusdem, ad quid obligatur Sacerdotem?

Dico maxime hic esse advertendum, an Fundator Præsentiam solam intenderit, an etiam Applicationem, de qua re satis supra *cap. 1. §. 2. num. 15.* dictum est: si enim solum intendit Præsentiam ob commoditatem populi, vel ob aliud in tali die determinato, ad nihil Sacerdotem obligare poterit, quia jam impossibilis vel naturaliter, vel physice reddita est executio mentis Fundatoris tali addita die, nec alium diem curantis. Si vero intenderit vel Applicationem, vel merum cultum. Dico consequenter Sacrificium nulli diei additum, tum loco Capellani obligamus, vel ad celebrandum eodem die in alio loco, si locus aptus suppetat, vel ad resurgendum alio die. Ratio est supra tacta, id est præsumptum Fundatoris voluntas. Cætera pertinentia ad locum, vel loco suo supra *cap. 2.*